

fidei nobis proponendi, ut non liceat ipsis, cum opus est, contradicere. Solus autor S. scripturarum est Deus. Ergo ille solus errare non potest. Quamobrem dicamus, ut ille, *Amicus Socrates, amicus Plato, magis amica veritas*. Imò nihil gratius possumus facere ipsis Doctoribus etiam, si videant nos ita affectos, ut nihil velimus in religione, & scripturis interpretandis admittere, nisi quod habeat testimonium apertum in S. literis. Discamus à Paulo, qui noluit pendere neq; ab omnibus aliis simul Apostolis, sed arguit Petrum liberè. Quare? quia habebat apertum Dei verbum, contra illud, quod agebat Petrus.

Hæc idcirco pluribus explicavi, ut ostenderem vobis, quàm indecorum doctori Christiano, & quàm detrimentosum Ecclesiæ Dei sit, ita pendere ab hominibus, ut ab eis non liceat vnquam discedere. Quare, videtis, iustissimas mihi causas esse, cur non debeam semper aliorum interpretationes sequi, sed quas perspicuū fuerit esse ipsissimum verbum Dei, & mentem Spiritus Sancti, id quod est interpretari scripturas sincerè atque fideliter.

Postremò, mea interest, hoc idem verbum docere liberè, id est, in nullius gratiam, & absque vilius metu. Obsecro Deum Patrem, ut illam *παρρησίας*, quam Apostolis largitus est, mihi quoq; concedat, & nunc & semper. Quorsum? ad patefaciendum magis ac magis ipsius gloriam in verbo suo, & promouendam salutem electorum. Ergo nullus mihi succensere debebit, si liberè pronuntiabo, quod liquido cognouero esse apertum Dei verbum.

Hæc